

mirabiliter deridebat. Eo autem sic ipsos deridente, ipsum tormentare cœperunt a mane usque ad meridiem, diversis generibus tormentorum. Quod quamquam sic ei inferrent semper tamen in fide immobilis permanebat et constanter, illorum falsam ostendendo et eam viriliter destruendo. Cum autem videntes Sarraceni a sua non velle discedere voluntate, illum super quemdam arborem suspenderunt, in quam a nona usque ad noctem ipse permansit. Cum autem ad noctem fuit perventum, de arbore ipsum acceperunt sine aliqua læsione de mundo. Hoc illi videntes¹ ipsum per medium diviserunt, et mane facto nichil de eo breviter fuit inventum. Verumtamen uni personæ fide dignæ fuit revelatum quod Deus occultaverat ejus corpus usque ad certum tempus, in quo tamen sibi placuerit ipse illud manifestabit. Ut autem Deus opem ostenderet quod eorum animæ jam regna celestia obtinebant,² illa die qua beatissimi fratres gloriosi martires sunt effecti, ille Lomelic dormitioni se dedit; qui dum sic in lecto dormiret ecce sibi apparuerunt isti martires gloriosi lucidi, ut sol ac splendidi, singulos enses in suis manibus retinentes, et super Lomelic taliter eos vibrantes ac si dividere voluerunt ipsum totum. Quod videns ipse Lomelic voce sic alta cepit clamare. Quid ad ejus clamorem tota ipsius familia occurrit festinanter petens ab eo quid ipse haberet atque vellet. Ipsum autem dum sic interrogassent ipse respondit dicens: Illi Raban Franchi quos interfici feci huc ad me venerunt suis ensibus, quos habebant, occidere me volentes. Ideoque ipse Lomelic misit pro Cadi cui totum, quod sibi acciderat enarravit, consulens ipsum quid de hoc esset finaliter peragendum, cum se crederet ab eis penitus interire. Tunc Cadi sibi consuluit ut pro eis magnam elemosinam exhiberet, si vellet evadere de istorum manibus interfectorum. Tunc statim misit pro illis Christianis quos ipse in carcere detinebat, qui cum venissent ad eum, ipse indulgentiam ab eis de eo quod sibi fieri fecerat humiliter postulavit, faciens se socium eorum et fratrem. Hoc autem facto tunc precepit ut si quis unquam offenderet aliquem Christianum ipse penitus moreretur; et sic omnes illæsos abire permisit. Post hoc autem ipse Lomelic eis quatuor moschetas, scilicet iiii ecclesias fecit edificari, in quarum qualibet quosdam sacerdotes Sarracenos fecit morari.

12. *Idem.*

Audiens ipse imperator Doldali³ istos fratres talem subiisse sententiam, misit et ordinavit ut ipse Lomelic penitus caperetur, et ipse ad eum vinctis manibus duceretur. Qui cum ante eum sic fuisset adductus, eum interrogabat quare mori fecerat tam crudeliter istos fratres. Cum autem interrogatus sic fuisset, respondit ei: Istos fratres sic mori permisi quia ipsi subvertere volebant legem nostram, et malum etiam dixerunt de propheta. Tunc sibi dixit imperator: Tu, crudelissime canis, cum vidisti quod Deus bis liberavit eos ab igne, quo modo fuisti sic ausus ut eis talem mortem inferres. Hæc cum dixisset, eum cum tota familia sua per medium scindi fecit. Et quia talem mortem istos fratres⁴ in suum meritum fecit sustinere, hoc ipse passus fuit tantum in detrimentum.⁵

¹ *Hak.* videntes illum lætum vivum et illæsum.

² *Hak.* ostenderet animas suorum martyrum jam in cœlis consistere et congaudere cum Deo et angelis et aliis sanctis ejus. *Mus.* nearly the same. *Ven.* omits.

³ *Ven.* Dodoli; *Far.* Dodili; *Mus.* Dodili; *Hak.* Dodsi; *Marc.* dol Dali.

⁴ *Mus.* Petro de Senis. *Hak.* fratri.....infixerat.

⁵ *Far.* Cadi autem hoc audiens de terra illa atque de imperatoris dominio clam fugit. *Hak.* also ending et sic evasit. *Mus.* et evasit.